

12

EPISTOLA D. MARTINI LVTHERI

A D

GENEROSVM ET CLARISSIMVM VIRVM

D. FRANCISCVM DE REVA

COMITEM THVROCIENSEM HVNGARVM

OLIM DATA

NVNC VERO

P E R

M. GEORGIVM HORVATH

QVONDAM IN HVNGARIA FRANCISCANVM

JAM AVTEM

PROSELYTVUM EVANGELICO-LVTHERANVM

NONNVLLIS ACCESSIONIBVS

VVLGATA

VITEMBERGAE ET SERVESTAE

APVD SAM. GODOFR. ZIMMERMANNVM

M D C C LIV

EPIS TOLY
D. MARTINI VAUTRI

A.D.

GERMANIAE ET POLONIAE
ARCHIATRI ET MEDICO-PHYSICI

D. HENRICI SEAM DE RYAN

COMITIATU MARCHIONIS HUNGARIAE

ATQ. 1610

EDIDIT

ET A VON M V D O L A M

EDIDIT ET TRADIDIT FRANCISCUS GAGNON

METTA MAI

IN UNTERTHEMELIANA MUSICA

ACCEPTEBVS Vnde HOMERVS

ATQ. 1610


ATQ. 1610
MUSICA
SMMERMIS ET CORDIS
VIA
MUSICA



GENEROZO ET CLARISSIMO VIRO
D. FRANCISCO DE REVA (a)
COMITI THVRCIENSI
DOMINO SVO IN CHRISTO OBSERVANDISSIMO.



ratiam, et Pacem in Domino. Etsi literas TVAS, Hanc epist.
referit Scul-
VIR CLARISSIME, inter multas occupationes scri-tetus, in hist.
psisse TE, videam, ipse quoque miratus tamen
sum, quomodo tanta argumentorum copia TIBI²⁰
certaminum
Sacramenta.
riorum, fol.
ex Zwinglio inhaeserit, in re sacramentaria, et valde doleo, istis
argumentis ista moueri; sed cum ipse quoque sim occupatior mo-
do, quam, ut prolixius mihi scribere licet: Interim per Chri-
stum et salutem TVAM TE oro, ne corruas in hunc errorem, quod
solum panem et vinum in sacramento, et non corpus et sanguinem
Christi esse, credas. Nam argumenta TVA sunt Zwinglii, contra
quem nos multa scripsimus, sed vernacula, et multos, Deo gratia,
conuerimus. (b) Quid enim absurdum est credere, corpus Christi simul




in coelo et in sacramento esse? An omnipotenti Deo difficile est, quod nobis incredibile videtur? Iohan. III. Cap. dicit: *Nemo ascen-
dit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis, qui est in coelo.* Si tum fuit in coelo, cum in terra ambularet, quomodo non simul erat in diuersis locis? Cui ista sunt incredibilia, quomodo crederet, eum esse hominem? Quomodo sit in utero virginis simul verus Deus assentialiter? Quomodo una persona simplicissimae diuinitatis incarnetur, exclusis duabus reliquis? Mysteria fidei verbo sunt tradita, et accepta, non ratione comprehensa, aut iudicata. (c) *Valde, imo totum ratio est, quae dictat, idem corpus non posse in
diuersis locis esse, sed ratio est coeca, et quod ei est impossibile,
Deo est facillimum.* Mihi non est corpus idem, in coelo et in ter-
ra. Sed quis sum ego? Mihi non est corpus meum, in parua parti-
cula panis; sed quis ego? Deo non est impossibile omne verbum.
Non qui comprehendenterit, sed qui crediderit, saluus erit. Et iterum:
Si non credideritis, dicit Esaias, Cap. VII. *non intelligeris, nec perma-
nebitis.* Miserrimus sit ille Deus, qui non dicit, aut facit, quod no-
bis incredibile sit, sic enim nullum tandem habebimus articulum
fidei, si iudicio nostrae rationis aestimandus fuerit. Sed occupa-
tus cogor hic sistere, iterum atque iterum rogans, (d) *ut in ve-
teri fide Ecclesiae persisteret*, donec, cum tempore, argumenta tua co-
piosius soluero. Verba Dei: *HOC EST CORPVS MEVM, TE non
fallent, TUA ratio, et hominum sapientia mendax est, et fallit.*
Christus Dominus te seruet, et dirigat Spiritu sancto suo. Amen.
Datae Witebergae IV. Aug. Anno 1539.

TVAE EXCELL:

deditus

MARTINVS LVTHERVS.

(a) Heros



(a) **H**eros Noster, FRANCISCVS DE REVVA, exacto, post hanc Lutheri epistolam, quatuor annorum intervallo, in regno, quod apostolicum audit, Propalatinali dignitate exsplenduit. In Ecclesia vero Euangelico - Lutherana, vt Cherub, per Hungariam eluxit. Arcam veteris Testamenti, in intimo templi adyto repositam, alis suis tegebant sancti Cherubim: *Arca Christi*, ex mente elegantissimi Theologi, MEISNE Anthropol. RI, collaudantis regni Hungariae Palatinum THVRZONEM, est Ecclesia, in praefata quam protegunt principes, veluti coelestes Cherubim. Horum choro ad numerandum censio Propalatinum Nostrum, REVAVM. Fuit is coetui Euangelico - Lutherano in Hungaria diuino munere commodatus Cherub, is que omnium primus, positus in sancto monte, et protegens quassatam arcu lam, ea praeferim tempestate, qua Ferdinandus, Rex Hungariae, literis seuerissimis, quarum tenorem ad calcem ponam, professa quasi vi, vrgebat Propalatinum Nostrum, vt, virtute officii sui Propalatalis, haereses, quo nomine nostra quoque Euangelica religio onerabatur, in regno Hungariae inualescentes omnibus remedii arceret, puniret, tolleret, et extirparet. Propalatinus REVAVS, ceteroquin reuerens Principum, vice hac, Deo fretus, regium mandatum exequi, religioni sibi ducit, Regi Regum potius, quam tumultuantि lae. Ferdinand, morem gerit, reliquosque ex semine mulieris, custodientes Apoc. XII, 17 mandata Dei, et habentes testimonium Iesu Christi, fideliter protegit.

(b) Hunc talem tantumque virum, speciosa plausibilia et erudita (*ern- vide Kro- mayeri*) Zwinglianorum argumen- ta de verbis coenae Domini ita constrictum tenebant, vt REVAVS persuasum Theol. Pol. p. 720. habuerit, ea a nemine sibi posse solvi, praeterquam ab aeterni Euangelli vin- dice atque assertore intießimo, beato Lutherio. Ea de causa Lutherum in consilium vocat: Lutherus Revianorum dubiorum fontem rationem esse, animaduertit: REVAVS enim auguſtissimum coenae Domini Sacramentum plus iusto ad rationis normam exigebat. Ea autem est rationis nostrae indeoles, si fraenos ei laxaueris in scrutatione ter sancti huius mysterii, vt illico perulanter a simplici et nativa verborum coenae Domini sententia in aduersum rapia tur, et absurdia quaque et impossibilis sibi formet et imaginetur. Non no- Cap. VII. de Fund. SS. rum est, inquit maximus et incomparabilis CHEMNITIVS, humanam coenae n. 2. rationem in illis locis, vbi dogmata traduntur, etiam quando verba per spicua



spicula et manifesta sunt, sibi fingere antinomias absurdas, inconvenientia et pugnantia, propter quae existimat, se recte discedere posse a propria et nativa verborum sententia: Sed ipsa Scriptura exempla annotauit, et refutationes addidit, ut conscientias recte informaret, quid in huiusmodi grauissimis controversiis, vbi de locis Scripturae, in quibus dogmata traduntur, disceptatur, tuto faciendum, et sequendum sit:

(C) Deus enim dederat Abraham promissionem de semine. Gen. XII, 2.
Reuaianus et cap. XV, 6. Sed quia ipse erat effactus, et Sacra sterilis, cogitat, forsitan erat, conscientia labens facere, lis vero suis cogitationibus non statim acquiescit, sed effundit eas in sinum et sequi debet. Dei, petens instructionem, Deus vero promissionem ita repetit, ut addat declarationem. *Qui egredietur ex utero tuo, ipsum habebis haeredem:* Haec verba plana sunt: Sed tamen Sara conatur per concinnam interpretationem a retractans optime doceret. *am, si forte ex ea aedificer.* Ita discedens a verborum genuina significacione, videbatur sibi sensum promissionis pulchre tenere, et quidem non volebat videri ex prauis dialogismis *rationis* haec sumuisse, multo minus ex contemplatione. Gen. XV, 5. tu verbi diuini hoc facere. Sed quia inquit: *Dominus conclusit me, ne pararem:* ideo necesse erit, aliam esse promissionis sententiam, quam sicut verba proprii sonant. Dominus vero instituit illustrem repetitionem, et declarationem promissionis: *Ex Sacra dabo tibi filium:* sed quid Abraham ridens in corde suo cogitat: Putafne centenario nascetur filius, et Sara nonagenaria pariet? Tam alte infederat opinio, non posse ita fieri, sicut verba sonabant, Gen. XVII, 15. Deus igitur quarto instituit repetitionem et declarationem illius promissionis. Gen. XVIII, 14. Sed quia ambo erant senes, Sara occulte rideret. Tandem iraque Deus, quasi cum stomacho, inquit: *Quare risit Sara, uxor tua? Numquid Deo quicquam est difficile?*

Rom. IV, 11. Hoc exemplum propterea est illustre, quia Abraham est Pater creditum: voluit autem scriptum in illo ad commonefactionem totius posteritatis, depingere cogitationes humanae *rationis*, in interpretatione dogmatum fidei, quando propria et nativa sententia videatur in absurdita, et pugnatio quedam impingere. Et simul ostendit veram analogiam et certum canonicum, quem conscientia in huiusmodi controversiis tuto sequi possit, et merito debeat: Aliquoties enim Abraham tentat ex verbis illis promissionis aliam sententiam exculpere, quam sicut in proprio et nativo sensu sonant.

Non



Non tamen illis suis imaginationibus, vel fudit, vel acquiescit. Plerophoria enim fidei sola diuina voce nititur. Sed os Domini interrogat, Dominus vero promissionem reperit, partim iisdem verbis, partim aequivalentibus, partim planioribus, et addit declarationes, ut ita ostendat, non esse discedendum a propria et nativa verborum sententia. Cumque tot consentientibus repetitionibus, animi, propter praesumtas antitheses, antinomias, et absurdula nondum acquiescerent, cum quidem modum non caperent, quo illud fieri posset, Deus quasi indignabundus respondet: Numquid aliquid impossibile est Deo? Tandem igitur Abraham tot consentientibus repetitionibus confirmatus, nullis amplius absurdis aut obiectiōibus mouetur. Non enim considerauit corpus suum emortuum, sed in promissione Dei non haesitauit diffidentia. *Conformatus enim fide, dedit gloriam Deo, plenissime sciens, quia quaecunque promisit Deus, ea potens est et facere.* Rom. IV, 21.

His vestigiis Patris creditum, in tantis confusionibus disputationum de coena Dominica, conscientia timens Deum ruto potest infistere. Quam enim sententiam reddant verba institutionis, si in proprio et nativo sensu accipiantur, ipsi etiam aduersarii agnoscunt et fatentur. Sed huic propriae et nativae sententiae infinita absurdia et inexplicabilia inconvenientia videntur obstare, illis mens humana ut medeatur, excogitat alias concinnas et varias interpretationes. Num vero genuina, constans et solida fidei plerophoria est, deserta nativa sententia, concinne excogitatis illis interpretationibus statim acquiescere? Nullo modo. Abraham enim os Domini interrogavit, et Dominus repetitione promissionis mentem suam declarauit. Cumque Abraham subinde alia quaereret subterfugia, ut a propria et nativa sententia discedere posset, Deus semper opposuit repetitionem promissionis.

Ita et in hac de coena Domini controuersia, totum negotium referamus ad ipsum auorem huius coenae, disceptationes *rationis nostrae* in ipsis finum effundamus; non autem nostris rationibus statim acquiescamus et palmam demus. Sed quia Scriptura non est priuatae interpretationis, praecepit vero, quia huic controuersiae, si non reēte diiidicerur, annexus est reatus iudicii, interrogemus os ipsius testatoris, qui coenae huius autor et hospes est.

Non autem vel quaerendae, vel expeſtandae sunt nouae et peculiares revelationes, nec ex aliis Scripturae locis, qui de coena Domini non loquuntur, perenda est decisio. Sicut enim Deus Abrahae disceptanti mentem suam, repetita aliquoties eadem promissione, declarauit; ita Filius Dei verba Testamenti sui, seu dogma de coena sua, aliquoties in Scriptura repeti curauit. Matth. XXVI, 26. Marc. XIV, 22. Luc. XXII, 19. 1 Cor. XI, 23-29. 1 Cor. X, 16.

Sed



Sed licet repetitiones illae natuam verborum proprietatem manifeste comprobent et confirmant, semper tamen obstrepunt nobis contradictiones *absurda a ratione nostra excogitatae*. Cum vero ab una repetitione ad aliam progressi fuerimus, et non obtulerit se in illis repetitionibus firma et perspicua demonstratio, verba aliter, quam sicut sonant, accipienda esse: Si tunc Sara in corde nostro nondum acquiescat, sed adhuc miretur, disputet, rideat, et magis inclinet in diuersam sententiam, cum ex antinomii et obiectionibus non possit se euoluere, cogitemus, Dominum indignabundum tandem respondere: *Vt quidrides in corde tuo? Numquid Deo difficile et impossibile aliquid erit?*

Sicut igitur tandem Abraham, cum ex tot repetitionibus eiusdem promissionis, non posset, sicut voluerat, et aliquoties tentarat, perspicue et firmiter colligere, verba aliter, quam sicut sonant, intelligenda esse, non considerauit, quicquid vel videbatur obstare, vel poterat obici; sed certitudinem aliquoties repetitae promissionis *cum potentia diuina coniunxit*, atque hac tandem methodo ad veram fidei plerophoriam peruenit. Rom. IV, 18. Ita cum ex omnibus illis locis, in quibus dogma de coena Domini reperitum est, non potuerimus perspicue et firmiter animaduertere, Filium Dei velle, ut a propria et natuua sententia discedamus, non sufficit ad veram fidei plerophoriam, si, propter varias antinomias, antitheses, absurdas, quae *ratio acute exogitat*, alias interpretationes comminiscamur. Si enim Filius Dei hoc voluisse, sine dubio ostendisset, in tot illis repetitionibus, quas tamen hoc ipso consilio fieri curavit, ut et verba testamenti sui, et declarationem verborum, in illis ipsis repetitionibus inueniremus.

Sed quomodo poterit fides sua plerophoria constare, cum tot obstent obiectiones, quae non facile possunt dissolui? Illud vero Paullus ostendit in vestigiis Abrahami, Patris credentium, coniungentis certitudinem repetitae promissionis *cum potentia diuina*.


Ita ergo et nos in hac controuersia, eriamus non possimus omnes obiectiones soluere, coniungamus veritatem, sapientiam et potentiam diuinam, veritatem colligimus ex tot consentientibus eiusdem dogmatis repetitionibus. Nec licet disputare, idem posse fieri alia, & quidem commodiori ratione, spirituali scilicet mandatione. Ipsius enim sapientia omnium optime nouit, quid salutis nostrae maxime vtile et necessarium sit. Quod si obstare videtur, non posse hoc fieri, salua veritate humanae naturae; responderet omnipotencia eius: *Quicquid dixit, hoc potest praefastare. Si de modo quaeris? Sapientia eius nouit, et habet modum, quo id, quod verba sonant, fieri possit, longe ultra, quam nos intelligere vel cogitare possumus.*

Et

Et commemoratu dignum est, quam sollicite postea Abraham hanc plerophorias methodum obseruauerit: Deus Gen. XXII, 2. praecepit Abraham: *Tolle filium tuum, et macta eum in holocaustum &c.* Huius praecepti quae sit propria et nativa sententia, manifestum est. Sed videntur obstatre contradictiones non vulgares. Primum contradicatio legis: *non occides* Gen. IX, 6. Deinde ipsius etiam euangelii; *In Isaac vocabitur tibi semen*, ut ita propria et nativa praecepti istius sententia videatur ex diametro pugnare cum lege et euangelio, hoc est contra analogiam vniuersi verbi Dei. Exaggerent, quantum possunt, Zwingiani suas obiectiones, nunquam tamen pares erunt hisce antinomias.

Quid vero facit Abraham, Pater credentium? Num propter illas antinomias discedit a propria et nativa praecepti istius sententia? Sane, quia filius unicus erat, quem diligebat, et praecipue, quia filius promissionis erat, non dubium est, varias ipsum cogitationes in animo suo versasse: sed antea didicerat: Verbum Dei non esse priuatae interpretationis, nec ex aliis verbi Dei sententiis, quae de praecepto illo non loquuntur, accersendas esse interpretationes. Quia igitur Deus ipse sua voce non ostendebat, verba istius praecepti, aliter, quam sonant, esse interpretanda, licet variae antinomiae et antitheses obstatre videbantur, non tamen ausus fuit a propria et nativa sententia discedere. Et quae fuerit methodus plerophorias, in qua tandem Abraham inter varios disceptationum fluctus, acquieuerit, Epistola ad Hebracos cap. XI, 8. pulcherrime ostendit. Ita enim *λογισάμενος* argumentatus est: Quia vtrumque est verbum Dei: In Isaac vocabitur tibi semen. Et, macta filium tuum, Isaac. Ergo alterum mihi faciendum est, et nihilominus alterum credendum. Quod autem illa duo pugnare videantur, et alterum evacuare alterum, credo, Deum, qui vtrumque dixit, cum ipse sua voce non ostendar aliam interpretationem, posse praestare, ne pugnent. Potens enim est, etiam ex mortuis resuscitare filium meum, ut ita vtrumque, quia verbum Dei est, verum sit. Haec vero simplicitas et obedientia fidei in Abraham magnifice praedicatur ab ipso Deo.

Si igitur Abraham propter urgentissimas illas antilogias non ausus fuit discedere a propria et nativa sententia illius praecepti, quod semel tantum audierat, idque ob unicam hanc causam, quod Deus ipse sua voce non ostendebat, praeceptum aliter, quam sicut sonar, intelligendum esse. Qua conscientia nos in hac controversia, propter obiectiones multo leuiores, audemus discedere a propria et nativa sententia illius dogmatis, quod, in aliquot Scripturae locis Matth. XXVI, 26. Marc. XIV, 22. Luc. XXII, 19. 1 Cor. X, 16. 1 Cor. XI,



23-29. iisdem consentientibus et aequivalentibus verbis reperitum est? Cum in omnibus illis repetitionibus non possit perspicue et constanter ostendi, Filium Dei velle, ut a propria et nativa sententia discedamus.

Periculi profecto plenum est, propter rationes, quas mendax hominum sapientia adornat, a verborum testamenti Christi propria significacione recedere, et tropum sectari. Fieri potest, ut alia sententia blandiatur orioso animo, que magis est consentanea humanae *rationi*, praesertim sic instrueta et polita argumentis erudite excogitatis: *sed quid fieri*, sunt verba Melanchthonis, *in tentatione, cum disputabit conscientia, quam habuerit causam dissentientis a recepta sententia in Ecclesia, tunc ista verba: HOC EST CORPVS M E V M, fulmina erunt. Quid hic opponet mens perverfacta, quibus scripturis, qua voce Dei se muniet, ac sibi persuadebit, necessario hic interpretandam fuisse metaphoram?* Post aliqua: *Mandatum est Abraham, ut circumcidet praeputium. Quis non irrisit inter ethnicos? Neque tam licuit illi, cum institueretur ritus, aliud suspicari, quam quod verba sonant. Homo astutus poterat disputare, rem tam ridiculam nullo modo praecepit a Deo, sed significari, libidines esse coercendas et fraenandas.* Paucis interiectionis concludit: *Nullus Scripturae locus proferri potest, qui testetur, Christum non esse in coena, qui cogat interpretari coenae verba allegorice: Nec usus ecclesiae veteris cogit, ea interpretari allegorice. Tantum repugnat verbis absurditas quae impingit in iudicium rationis. Haec non est satis magna causa, cur a verbis discedamus.* Ita Melanchthon, superstite adhuc Luther, sed post obitum Lutheri, cum Caluino et aliis Sacramentariis conspirare coepit, imo totum Palatinatum vnicam epistola, quae extat in refutatione historiae Peucerianae, toxico calviniano infecit.

Aliam longe in Lutheru fuisse constantiam, nouimus; Heluetii, ut infeliciem et infelicius ingenii hominem, damnant Lutherum. Quid vero Megalander noster? *Gaudeo*, inquit, *mibi satis est infelicissimo omnium hominum una ista beatitudo Psalmi: Beatus vir, qui non abiit in consilio Sacramentorum, nec stetit in via Zwinglianorum, nec sedet in cathedra Tigurinorum: Das norum. Certe animus simplici, propriae et nativae verborum coenae Dominicae significacioni inhaerens, apud tribunal Dei hac vel simili apologia lennitissimam. Martinus Eu. vii poterit: Domine Iesu Christe, controuersia in mundo agitata fuit, suorum per verbis testamenti Tui aliquibus in diuersam, a verborum tenore sententiam eadem trahentibus, quibus ego fidem, et conscientiam meam committere non potui, nec volui. Ego vero, qui Testamenti tui et ultimae voluntatis verba ista consideraui, neque comperi uspiam in Scriptura diverso,*

Libello ad Myconium Frider.

Vide etiam Kromayer. Arr. 17. Theol. Posit. pol. par. 908.


idem Krom. pag. 905.

Theol. Posit.

thom, superstite adhuc Luther, sed post obitum Lutheri, cum Caluino et aliis Sacramentariis conspirare coepit, imo totum Palatinatum vnicam epistola, quae extat in refutatione historiae Peucerianae, toxico calviniano infecit.

uerso, quam sonarent, sensu, eadem abs Te accipi, cui declarationi hanc ^{apolog.ap.}
dubie non pepercisses in re tam graui, si aliter, quam sonant, voluisses ^{Cheminius.}
telligi, in nativo et simplici sensu eorumdem acqueui. Iudica ergo Tu ^{cap. 7. d.}
Domine, an errauerim, et si erravi, cuius culpa factum sit, ut errauerim ^{coenae n. 1.}
vid Krom. ^{Art. 17. Theol. Pof. §.}

(d) *Perfittisse REVAIUM* in fide veteris Ecclesiae, argumento est: *Nam 908.*
(*Sunt verba Sculheti in Historia Certaminum Sacramentariorum fol. 20*)
Michaelem et Franciscum filios suos in schola D. Stoeckelii discipuli Iu-
theri Bariphae eruditiri et instruiri curauit: Sed forte in his demum duo-
bus filiis exaruit semen benedictum? Minime. Reuaiano enim generi, Dei
gratia, hoc proprium est, quod inter eos magnates Hungariae, quibus exactis
Pontificiae noctis tenebris lux veritatis aeternae affulsit, sola et vniqa, ita con-
uersa, ac commutata est rerum facies,) superfit, in qua inde a repurgatis sa-
cris ad hanc vsque aetatem, semper viuis alterue continenter extiterit, qui pu-
riorem professus sit doctrinam. Nostro hoc aeuo, viuum tantum Augustanae
confessioni deuotum superesse, scimus: videlicet. Illustrissimum D. BARO-
NEM PAVLLVM DE REVA, natu iam grandem: *Derelictus ego sum so-* ^{3 Reg. XIX}
lus, iam iam dicere poterat, si paucis abhinc annis non sine discrimine, excus- ^{4.}
so monachorum cucullo, Euangelicae nomen non dedisset Ecclesiae Noster
Generofus D. ALEXIVS L. B. DE REVA, cuius modestiam, cum nuper inter Phi-
losophiae Magistros cooptaretur, demirati sunt non pauci. Dicere, si gloriari
voluisset, poterat: Baro sum. Ornamenta Philosophici Senatus non affecto.
Stirps mea, non Philosophiae, sed Curiae Magistros, comites perpetuos, sacrae
Coronae Regni Hungariae Afferuatores, Propalatinos, et si quis gentis REVA-
IANAE nobilitatem ab origine ultima rimari velit, Marchiones, numerat.
Haec omnia si dixisset, a vero non aberraasset. Modestissima tamen mens ipsi-
us, horum omnium oblita, alaci, laeto, philosophicum decus acceptat animo,
probe sciens, per hoc se nihil, nec suorum derogare splendori maiorum, nec
quicquam alienum agere ab aeuo veteri. Olim enim non modo nati loco il-
lustri clarissimarum doctrinarum laureas faciebant magni, verum ipsi quoque
principes in parte gloriae ponebant, si post protiunciarum vocabula, et caeteros
summae fortunae titulos, his sapientiae quoque insignibus aestimarentur. Age-
dum itaque, Generose Baro, et nouum hunc, qui Te ornat, honorem, orna
vicissim. Haud committas, vt a Maioribus Tuis vinaris, qui tametsi philo-
sophica dignitate non erant aucti, reapse tamen se Magistros praefitere. Ma-
gistrum certe dixerit PETRVM DE REVA, quisquis conditam ab eo euol-
uerit historiam. Nec minus Magistri elogium prae se tulit Venerabilis ille



Auus Tuus, ALEXIVS DE REVA, qui inter alia praeclara ingenii sui monumenta, *Quæstiones* in Genesim conscripsit; quaram iteratam editionem Ex-cell. D. COMES FORGACS REVATIANO sanguini propinquus, non ita pridem, adornauit. Vtinam pari impendio ipse quoque Perillustris D. IOANNES BALOGH, peccus illud generoso honesto incoctum, modo memorati aui Tui, alia adhuc, eaque varia, erudita scripta, domi suae thesauri instar afferuato, luce donaret, atque typis expressa, a blattis et tineis vindicaret. Sed ne rebus humanis tantum exemtos Maiores Tuos, Magistrorum spartam explentes referre dicar, viuentium autem gloriam, si tacitus eosdem praeteriero, premere videar. An non eruditio hoc acuo nostro in poesi vtramque paginam facit, lauraque Musarum coronari meretur. Illustrissimus D. JOSEPHVS L. BARO DE REVA, Augustissimae Regis Hungariae, a Consiliis, cu-

Horat. I. 1.
Epist. 3. v. 17. ius erudita poemata *Palatino* digna sunt *Apolline*. Haec immortalia, non aliunde petita, sed Domi Tuae nata decora, intueri Te decet, Generose Baro. Haec Te incitatura sunt, si modo Tu in Tua laude quempiam, præter Te ipsum, incitatorem exspectas, vt iterum propediem edas quidpiam, quo incredibilem exspectationem, quam per suscepitam Magisterii lauream de Te apud doctos concitasti, expreas. Sed a diuerticulo, iam ad orbitam.

Perstirisse Reuaianos quosdam, inde a Lutheri tempore vsque ad hanc memoriam, in veteri fide Ecclesiae, audiuius. Perstiterunt autem, luce bonorum operum collustrati, vt homines luculenta eorum opera videntes *glorificarent Patrem, qui in coelis est*, Matth. V. 16. Lux hac Reuaiana illustri certe modo se exerebat eo tum, cum Ferdinandi gladius aduersus Bohemorum Regem, Fridericum, micare coepit. Hoc impedito, et acerbissimo saeculi decimi septimi tempore, palantes, hinc inde, sine certo lare, Euangelicae veritatis confessores, Morauos, Bohemosque; unus de Reuaiis (quod idem etiam Thurzones, Illyeshazii, Nadasdii, Nyaraii, Vizkeletii fecere) in sua ditione hospitio exceptit, benignitate subleuauit, studio fouit, ac tutatus est: Non fecus ac *Reuauium, et me*, modo subleuat, fouer, ac turatur Vitterbergensis alma Sion. Cui, vt et caeteris vrribus, *quae in meridie posuerunt umbram suam, velut noctem, vt absconderent propulsos, et vagos ne proderent;* *quae habitare apud se faciunt profugos Dei, et illis latibulum sunt a facie vastatoris:* His omnibus benedicat lebua, Deus noster, vt solium eorum stabiliatur beneficia, et sedeant in tenoriis Dei exercentes iustitiam.


Epistola

*Epistola Ferdinandi Regis ad Franciscum Reuauim
Propalatinum data, hoc exemplo.*

Ferdinandus &c. Magnifice, fidelis, nobis dilecte. Quemadmo
dum magnae nobis curae et prouidentiae esse debeat, fides,
obseruatio religionis, et cultus Dei opt. max. sanctaeque Matris
Ecclesiae nostrae a diuis Patribus, veluti per manus nobis tradita,
instituta, nihil magis nobis in voto est, quam vt ea omnia, vltierius
sub imperio, diuina ordinatione Nobis concredito, sinceriter, pie et
recto ordine, per omnes subditos nostros obseruentur, vt prolatata
Dei, qua multis iam annis respublica, ob scelera communia, vexat-
tur, indignatione, et pericula iam iam imminentia procul vitari, et
respublica Christiana in pacem, quietem, et tranquillitatem, Deo
nobis propitio, pristinam reponi possit. Id autem Nobis et sponte
ex dignitate et officio nostro Regio facere volentibus, fideliumque
Nostrorum omnium ordinum istius Regni Hungariae ex Conuen-
tu Nouizoliensi, cui etiam tu, vt scis, interfueristi, missae supplicatio-
nes, non minimum addiderunt incitamentum. Supplicatum, vt
scis, fuerat Nobis humillime, vt haereses illas, quae vbiique in re-
gno Nostro non pullulare modo, sed etiam iam inualuisse dicerentur,
exstirpandas esse iuberemus, et eos, qui a vero Dei cultu, Ec-
clesiaque orthodoxa, diuersis falsis, in pessimum aliorum fidelium
exemplum imbuti essent doctrinis, nisi resipiscerent, et ad veram re-
ligionem atque a tot saeculis approbatae Ecclesiae institutionem re-
uerterentur, omnibus remediis arcendos puniendosque curaremus.
Quibus ex rationibus meminimus, tibi Nos antea commisisse, vt,

si

Epistola haec
legitur apud
Timoneilem
sunt in e-
pitome
Chronol. re-
rum Hunga-
riae. fol. 143.
an. 1544



si qui tales reperirentur, in eos ex officio tuo animaduerti, haeresque quascunque ab orthodoxa Ecclesia alienas, in Regno isto Nostro tolli faceres, quod te in hunc diem minus fecisse, non possumus non vehementer mirari. Quamobrem volumus, et fidelitati Tuae firmissime sub indignationis nostrae poena rursus committimus, quatenus si quos tales in isto Regno Nostro Hungariae esse cognoueris, qui haereses falsamque doctrinam, a vera, Dei Ecclesiaeque permanente doctrina, veterique institutione alienam, aut sectari, aut docere, auderent, eos sine cuiuspiam personae, quaecunque haec, et quocunque in magistratu et dignitate sit posita, delectu absque omni, et fauore perquirere, et omnibus opportunis modis castigare debeas, et tenearis. Nam si secus feceris, praeterquam quod Deum Opt. Max. grauiter offendes, Nobisque obsequium ingratissimum praestabis. Secus igitur nequaquam sis facturus. Datum Pragae I. Iulii. Anno Domini M. D. XLIV.

*Argumentum Psalmi secundi, Lutherus ait, esse
Inania*

*Quare fremuerunt gentes et populi meditati sunt
Inania.*



Aug VI 57 (1)

f

ULB Halle
003 711 420

3



TA-7a
nur 4. Stk verknüpft

Petro



EPISTOLA D. MARTINI LVTHERI

A D

GENEROSVM ET CLARISSIMVM VIRVM

D. FRANCISCVM DE REVA

COMITEM THVROCIENSEM HVNGARVM

OLIM DATA

NVNC VERO

P E R

M. GEORGIVM HORVATH

QVONDAM IN HVNGARIA FRANCISCANVM

IAM AVTEM

PROSELYTVM EVANGELICO-LVTHERANVM

NONNVLLIS ACCESSIONIBVS

VVLGATA

VITEMBERGAE ET SERVESTAE

APVD SAM. GODOFR. ZIMMERMANNVM

M D C C LIV

